



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

61. Quonam Die mensis obuenit Sergio dicta admonitio? Quonam die
Willibrordus Vrbe[m] intrauit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DISSERTATIO LXI.

Quonam die mensis obuenit Sergio dicta ad-
monitio? Quonam die Willibrordus
Vrbem intrauit?



Espondetur ex nullo vitę Willibror-
dinę Scriptore aliquid liquere; in-
struit tamen nos antiqua Epternacen-
sis Ecclesię traditio, solempni festo
posterorum memorię dedicata, præ-
ceptionem diuinam de ordinando
Willibrordo contigisse Pontificino-
cte quę inchoat vel præcedit diem.
19. Nouembris, siue. 13. Kalendas Decembris. Habe-
mus traditionem ex Thiofrido Abbate Efternacensi Epi-
taphij florum SS. lib. 4. cap. 7. His verbis: *Anno Incarnati
1059 Regimbertus* (Thiofridi immediatus in Efternaco præ-
decessor) *communi Religiosorum virorum & totius conuentus con-
sensu posuit & confirmauit S. Spiritus decretum, vt. 13. Kalen-
das Decembris (qua nocte reuclatione Angelica Papa insignis
meriti Sergius est admonitus vt egregie Sanctitatis viro
Willibrordo quarto die Romam venturo & ad summum An-
tistitiij honorem sublimando quidquid in ornamentis Eccle-
siasticis & Sanctorum patrocinij complaceret, summa cum
alacritate animi concederet) S. Spiritus, inquam, promulga-
uit decretum vt eo die per omne subsequens auum, vesperti-
num & matutinum Sacrificium ritu solempni & magnifico in om-
nium eorum celeberrimę offeratur commemorationem ac familia-
rius obsequium quorum scilicet Efternaci essent reliquię,
&c. Hęc Thiofridus.*

Per

Per noctem intelligo noctem quæ vel inchoabat vel præcedebat immediate diem artificialem 13. Kalendarum Decembrium, non autem sequentem. Nam. 4. post die id est. 10. Kalen. Decembris festo S. Cæciliæ Virginis aduenit & fuit Romæ S. Willibrordus & quidem satis maturè cum eodem festo Episcopus sit ordinatus iuxta Bedam reliquis consentientibus. Festum vero S. Cæciliæ non potuisset esse quartus dies aduenturi Willibrordi si nox posterior caperetur.

Erat vero dies 13. Kalend. Decemb. Dies Dominicus, littera Dominicali Anni 696. existente A. Vnde opinari liceat egisse Deum cum Sergio circa Willibrordum, quod circa S. Hubertum supra, apparuisse nimirum Pontifici post decantatum Officium Matutinum (olim enim Pontifices & Episcopi Matutinis media nocte decantandis præsertim Dominicis & festis intererant) sub auroram quiescenti: ac consuevit Deus post diuinas laudes peractas animo ad pietatem iam composito visitationes suas immittere idque noctu vel matutino tempore. Hoc, inquam, circa Sergium & Willibrordum sic opinari liceat.

Curiosulus aliquis inquireret, quam somni parte, primâ, an extremâ, cælicam impressionem acceperit Sergius. Veterum Onirocriticorum, quæ etiam est Iamblichi, opinio fuit, diuina sônia non obuenire hominibus nisi aut primo aut ultimo somni tempore. 1^o. Quod tunc animus nondum vaporibus in caput sublatis omnino oppressus; vltimò, quod ijs iam euanescentibus redditus solutior ac liberior, imaginibus supernis recipiendis idoneus sit. Verum hæc plane commentitia & friuola sunt, nullâ autoritate fulcita. Deo enim æque facile & liberum est

Cc

quouis

quouis tempore rerum prænotiones menti ingerere. Unde similis generis friuola reijcimus, indigna quibus calamus teratur.

Ex prædictis Respondetur ad alteram questionem initio præpositam, S. Willibrordum intrasse urbem 10. Kal. Decembris id est 22. Nouembris, quæ erat feria quarta hebdomadæ & festum S. Cecilie, quo & eodem inuestitur Episcopus, de quo mox statuetur dissertatio.

DISSERTATIO LXII.

Quo anno Sanctus Willibrordus sit creatus Episcopus.

BRuschius dicit consecratum anno 694. Petrus Opmerius anno 695. feria 2. Verum ambo refutantur ex Bedæ lib. 5. Histo. Anglicanæ ca. 12. expressim ponente eius ordinationem anno 696. Bedam omnes alij sequuntur, vt Heda, A Beca, Leijdenfis, Molanus, Hærcus, Miræus, L. Beijerlinx, Bucherius, Ioannes Roberti ex monumentis Epternacensibus, &c. Id ipsum probatur ex eodem Bedæ, qui finiens historiam suam Anglicanam anno 731. ait cap. 4. lib. 5. Willibrordum dicto anno 31. habere 36. sui Episcopatus annum. Rectè vero anno 731. agit 36. sui Episcopatus, si anno 96. consecratum teneamus. Nec contrarius est nobis Sigebertus in chronico suis verbis ad annum 697: *Willibrordus à Sergia Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonum Episcopus consecratus, ex dono Pipini Principis sedem Episcopalem statuit in loco Wultaburch dicto, qui Wultraiectum dicitur à nomine gentis Wultarum & Traiecto compositum, quasi Wultarum oppidum, &c.* Non enim ibi affirmat Willibrordum